

CLAUDIEN

DE BELLO GILDONICO (526 vers)

v.1 Redditus imperiis Auster subjectaque rursus
 2 alterius convexa poli. Rectore sub uno
 3 conspirat gemini frenis communibus orbes :
 4 junximus Europen Libyae. Concordia fratrum
 5 plena redit. Patriis solum quod defuit armis,
 6 tertius occubuit nati virtute tyrannus.
 7 Horret adhuc animus manifesta que gaudia differt,
 8 dum stupet et tanto cunctatur credere voto.
 9 Necdum Cinyphias exercitus attigit oras :
 10 jam domitus Gildo. Nullis victoria nodis
 11 haesit, non spatio terrae, non obice ponti.
 12 Congressum, profugum, captum vox nuntiat una
 13 rumoremque sui praevenit laurea belli.
 14 Quo, precor, haec effecta deo ? Robusta vetusque
 15 tempore tam parvo potuit dementia vinci :
 16 quem veniens induxit hiems, ver perculit hostem.
 17 Exitium jam Roma timens et fessa negatis
 18 frugibus ad rapidi limen tendebat Olympi,
 19 non solito vultu nec quali jura Britannis
 20 dividit aut trepidos summittit fascibus Indos :
 21 vox tenuis tardique gradus oculique jacentes
 22 interius ; fugere genae, jejuna lacertos
 23 exedit macies. Humeris vix sustinet aegris
 24 squalentem clipeum ; laxata casside prodit
 25 canitiem plenamque trahit rubiginis hastam.
 26 Attigit ut tandem caelum genibusque Tonantis
 27 procubuit, tales orditur maesta querellas :
 28 "Si mea mansuris meruerunt moenia nasci,
 29 Juppiter, auguriis, si stant inmota Sibyllae
 30 carmina, Tarpeias si necdum respuis arces,
 31 advenio supplex, non ut proculcet Araxem
 32 consul ovans nostraeve premant pharetrata secures
 33 Susa, nec ut rubris aquilas figamus harenis.
 34 Haec nobis, haec ante dabas ; nunc pabula tantum
 35 Roma precor. Miserere tuae, pater optime, gentis,
 36 extremam defende famem. Satiavimus iram
 37 si qua fuit : lugenda Getis et flenda Suevis
 38 hausimus. Ipsa meos horreret Parthia casus.
 39 Quid referam morbive luem tumulosve repletos
 40 stragibus et crebras corrupto sidere mortes,
 41 aut fluvium per tecta vagum summisque minantem
 42 collibus ? Ingentes vexi summersa carinas
 43 remorumque sonos et Pyrrhae saecula sensi.
 44 "Ei mihi, quo Latiae vires Urbisque potestas
 45 decidit ! In qualem paulatim fluximus umbram !
 46 Armatis quondam populis patrumque vigebam
 47 consiliis ; domui terras hominesque revinxi
 48 legibus : ad solem victrix utrumque cucurri.

49 Postquam jura ferox in se communia Caesar
 50 transtulit, elapsi mores desuetaque priscis
 51 artibus in gremium pacis servile recessi ;
 52 tot mihi pro meritis Libyam Nilumque dedere,
 53 ut dominam plebem bellatoremque senatum
 54 classibus aestivis alerem geminoque vicissim
 55 litore diversi complerent horrea venti.
 56 Stabat certa salus : Memphis si forte negasset,
 57 pensabam Pharium Gaetulis messibus annum.
 58 Frugiferas certare rates lateque videbam
 59 Punica Niliacis concurrere carbasa velis.
 60 Cum subiit par Roma mihi divisaque sumpsit
 61 aequales Aurora togas, Aegyptia rura
 62 in partem cessere novae. Spes unica nobis
 63 restabat Libyae, quae vix aegreque fovebat :
 64 solo ducta Noto, numquam secura futuri,
 65 semper inops, ventique fidem poscebat et anni.
 66 Hanc quoque nunc Gildo rapuit sub fine cadentis
 67 Autumni. Pavidio metimur caerula voto,
 68 puppis si qua venit, si quid fortasse potenti
 69 vel pudor extorsit domino vel praedo reliquit.
 70 Pascimur arbitrio Mauri nec debita reddi,
 71 sed sua concedi jactat gaudetque diurnos
 72 ut famulae praebere cibos vitamque famemque
 73 librat barbarico fastu vulgique superbit
 74 fletibus et tantae suspendit fata ruinae.
 75 Romuleas vendit segetes et possidet arva
 76 vulneribus quaesita meis. Ideone tot annos
 77 flebile cum tumida bellum Carthagine gessi ?
 78 Idcirco voluit contempta luce reverti
 79 Regulus ? Hoc damnis, genitor, Cannensibus emi ?
 80 Incassum totiens lituis navalibus arsit
 81 Hispanum Siculumque fretum vastataque tellus
 82 totque duces caesi ruptaque emissus ab Alpe
 83 Poenus et attonitae jam proximus Hannibal Urbi ?
 84 Scilicet ut domitis frueretur barbarus Afris,
 85 muro sustinui Martem noctesque cruentas
 86 Collina pro turre tuli ? Gildonis ad usum
 87 Carthago ter victa ruit ? Hoc mille gementis
 88 Italiae clades impensaue saecula bello,
 89 hoc Fabius fortisque mihi Marcellus agebant,
 90 ut Gildo cumularet opes ? Haurire venena
 91 compulimus dirum Syphacem fractumque Metello
 92 traximus inmanem Marii sub vincla Jugurtham,
 93 et Numidae Gildonis erunt ? Pro funera tanta !
 94 Pro labor ! In Bocchi regnum sudavit uterque
 95 Scipio ? Romano vicistis sanguine Mauri.
 96 Ille diu miles populus, qui praefuit orbi,
 97 qui trabeas et sceptrum dabat, quem semper, in armis
 98 horribilem, gentes placidum sensere subactae,
 99 nunc inhonorus egens perfert miserabile pacis
 100 supplicium nulloque palam circumdatus hoste
 101 obsessi discrimen habet. Per singula letum
 102 impendit momenta mihi dubitandaque pauci
 103 praescribunt alimenta dies. Heu prospera fata !
 104 Quid mihi septenos montes turbamque dedisti
 105 quae parvo non possit ali ? Felicior essem
 106 angustis opibus ; malletm tolerare Sabinos

107 Et Veios ; brevior duxi securius aevum.
108 Ipsa nocet moles. Utinam remeare liceret
109 ad veteres fines et moenia pauperis Anci !
110 Sufficerent Etrusca mihi Campanaque culta
111 et Quincti Curiique seges, patriaeque potenti
112 rusticus inferret proprias dictator aristas.
113 Nunc quid agam ? Libyam Gildo tenet, altera Nilum ;
114 ast ego, quae terras umeris pontumque subegi,
115 deseror : emeritae jam praemia nulla senectae.
116 Di, quibus iratis crevi, succurrite tandem,
117 exorate patrem ; tuque o quae sponte per altum
118 vecta Palatinis mutasti collibus Idam
119 praelatoque lavas Phrygios Almone leones,
120 maternis precibus natum jam flecte, Cybebe.
121 Sin prohibent Parcae falsisque elusa vetustas
122 auspiciis, alio saltem prosternite casu
123 et poenae mutatae genus. Porsenna reducat
124 Tarquinius, renovet ferales Allia pugnas,
125 me potius saevi manibus permittite Pyrrhi,
126 me Senonum furiis, Brenni me reddite flammis.
127 Cuncta fame leviora mihi." Sic fata refusis
128 obticuit lacrimis. Mater Cytherea parensque
129 flet Mavors sanctaeque memor Tritonia Vestae,
130 nec Cybele sicco nec stabat lumine Juno.
131 Maerent Indigetes et si quos Roma recepit
132 aut dedit ipsa deos. Genitor jam corde remitti
133 coeperat et sacrum dextra sedare tumultum,
134 cum procul insanis quatiens ululatibus axem
135 et contusa genas mediis apparet in astris
136 Africa : rescissae vestes et spicea passim
137 sarta jacent ; lacero crinales vertice dentes
138 et fractum pendebat ebur, talique superbas
139 inrupit clamore fores : "Quid magne moraris
140 Juppiter avulso nexu pelagique solutis
141 legibus iratum populis inmittere fratrem ?
142 Mergi prima peto : veniant praerupta Pachyno
143 aequora, laxatis subsidant Syrtibus urbes.
144 Si mihi Gildonem nequeunt abducere fata,
145 me rape Gildoni ! Felicior illa perustae
146 pars Libyae, nimio quae se munita calore
147 defendit tantique vacat secunda tyranni !
148 Crescat zona rubens ; medius flagrantis Olympi
149 me quoque limes agat. Melius deserta jacebo
150 vomeris impatiens ; pulsus dominantur aristis
151 dipsades et sitiens attollat glaeba cerastas !
152 Quid me temperies juvit ? Quid mitior aether ?
153 Gildoni fecunda fui. Jam Solis habenae
154 bis senas torquent hiemes, cervicibus ex quo
155 haeret triste jugum. Nostris jam luctibus ille
156 consenuit regnumque sibi tot vindicat annis.
157 Atque utinam regnum ! Privato jure tenemur
158 exigui specie fundi. Quod Nilus et Atlas
159 dissidet, occiduis quod Gadibus arida Barce
160 quodque Paraetonio secedit litore Tingis,
161 hoc sibi transcripsit proprium : pars tertia mundi
162 unius praedonis ager ! Distantibus idem
163 inter se vitiis cinctus : quodcumque profunda
164 traxit avaritia, luxu pejore refundit.

165 Instat terribilis vivis, morientibus heres,
166 virginibus raptor, thalamis obscenus adulter.
167 Nulla quies : oritur praeda cessante libido
168 divitibusque dies et nox metuenda maritis.
169 Quisquis vel locuples pulchra vel conjuge notus,
170 crimine pulsatur falso ; si crimina desunt,
171 accitus conviva perit. Mors nulla refugit
172 artificem : varios sucos spumasque requirit
173 serpentum virides et adhuc ignota novercis
174 gramina. Si quisquam vultu praesentia damnet
175 liberiusve gemat, dapibus crudelis in ipsis
176 emicat ad nutum stricto mucrone minister.
177 Fixus quisque toro tacita formidine libat
178 carnifices epulas incertaque pocula pallens
179 haurit et intentos capiti circumspicit enses.
180 Splendet Tartareo furialis mensa paratu,
181 caede madens, atrox gladio, suspecta veneno.
182 Ut vino calefacta Venus, tum saevior ardet
183 luxuries ; mixtis redolent unguenta coronis.
184 Crinitos inter famulos pubemque canoram
185 orbatas jubet ire nurus nuperque peremptis
186 arridere viris. Phalarim tormentaue flammae
187 profuit et Siculi mugitus ferre juveni
188 quam tales audire choros. Nec damna pudoris
189 turpia sufficiunt : Mauris clarissima quaeque
190 fastidita datur. Media Carthagine ductae
191 barbara Sidoniae subeunt conubia matres ;
192 Aethiopem nobis generum, Nasamona maritum
193 ingerit ; exterret cunabula discolor infans.
194 His fretus sociis ipso jam principe major
195 incedit ; peditum praecurrunt agmina longe ;
196 circumdant equitum turmae regesque clientes
197 quos nostris ditat spoliis. Proturbat avita
198 quemque domo ; veteres detrudit rure colonos.
199 Exiliis dispersa feror. Numquamne reverti
200 fas erit errantesque solo jam reddere cives ? "
201 Iret adhuc in verba dolor, ni Juppiter alto
202 coepisset solio (voces adamante notabat
203 Atropos et Lachesis jungebat stamina dictis) :
204 "Nec te, Roma, diu nec te patiemur inultam,
205 Africa. Communem prosternet Honorius hostem.
206 Pergite securae : vestrum vis nulla tenorem
207 separat et soli famulabitur Africa Romae."
208 Dixit et adflavit Romam meliore juvena.
209 Continuo redit ille vigor senique colorem
210 mutavere comae. Solidatam crista resurgens
211 erexit galeam clipeique recanduit orbis
212 et levis excussa micuit rubigine cornus.
213 Umentes jam Noctis equos Lethaeaque Somnus
214 frena regens tacito volvebat sidera curru.
215 Jam duo divorum proceres, seniorque minorque
216 Theodosii, pacem laturo gentibus ibant,
217 qui Jovis arcanos monitus mandataque ferrent
218 fratribus et geminis sancirent foedera regnis.
219 Sic cum praecipites artem vicere procellae
220 assiduoque gemens undarum verbere nutat
221 descensura ratis, caeca sub nocte vocati
222 naufraga Ladaei sustentant vela Lacones.

223 Circulus ut patuit Lunae, secuere meatus
 224 diversos : Italas senior tendebat in oras ;
 225 at pater, intrantem Pontum qua Bosporos artat,
 226 Arcadii thalamis urbique inlapsus Eoae.
 227 Quem simul ut vidit natus (nam clara nitebat
 228 Cynthia), permixto tremuerunt gaudia fletu,
 229 complexuque fovens quos non speraverat, artus :
 230 "O mihi post Alpes nunc primum reddite", dixit,
 231 "unde tuis optatus ades ? Da tangere dextram
 232 qua gentes cecidere ferae. Quis tale removit
 233 praesidium terris ? Ut te mortalia pridem
 234 implorant longeque pium fortemque requirunt ! "
 235 Cui pater in tales rupit suspiria voces :
 236 "Hoc erat ? In fratres medio discordia Mauro
 237 nascitur et mundus germanaque dissidet aula ?
 238 Gildonisne salus tanti sit palma furoris ?
 239 Scilicet egregius morum magnoque tuendus
 240 et cujus meritis pietas in fratre recedat !
 241 In primo genitore, vide : civile calebat
 242 discidium, dubio stabant Romana sub ictu.
 243 quis procul Armenius vel quis Maeotide ripa
 244 rex ignotus agit, qui me non juvit euntem
 245 auxilio ? Fovere Getae, venere Geloni.
 246 Solus at hic non puppe data, non milite misso
 247 subsedit fluitante fide. Si signa petisset
 248 obvia, detecto submissius hoste dolerem.
 249 Restitit in speculis fati turbaque reductus
 250 libravit geminas eventu iudice vires,
 251 ad rerum momenta cliens seseque daturus
 252 victori : Fortuna simul cum Marte pependit.
 253 O si non cupidis essem praereptus ab astris,
 254 exemplum sequerer Tulli laniandaque dumis
 255 impia diversis aptarem membra quadrigis !
 256 Germani nunc usque tui responsa colebat :
 257 en iterum calcat. Tali te credere monstro
 258 post patrem fratremque paras ? Sed magna rependit
 259 inque tuam sortem numerosas transtulit urbes.
 260 Ergo fas pretio cedet ? Mercede placebit
 261 proditio ? Taceo laesi quod transfuga fratris,
 262 quod levis ingenio. Quamvis discrimine summo
 263 proditor apporet suspensa morte salutem,
 264 numquam gratus erit. Damnamus luce reperta
 265 perfidiam nec nos patimur committere tali.
 266 Hoc genus emptori cives cum moenibus offert,
 267 hoc vendit patriam. Plerique in tempus abusi,
 268 mox odere tamen : tenuit sic Graia Philippus
 269 oppida ; Pellaeo libertas concidit auro.
 270 Romani scelerum semper sprevere ministros.
 271 Noxia pollicitum domino miscere venena
 272 Fabricius regi nudata fraude remisit,
 273 infesto quem Marte petit, bellumque negavit
 274 per famuli patrare nefas ; ductosque Camillus
 275 trans murum pueros obsessae reddidit urbi.
 276 Traduntur poenis alii, cum proelia solvant ;
 277 hic manet ut moveat ? Quod respuit alter in hostem,
 278 suscipis in fratrem ? Longi pro dedecus aevi !
 279 Cui placet, Australes Gildo condonat habenas
 280 tantaque mutatos sequitur provincia mores.

281 Quaslibet ad partes animus nutaverit anceps,
 282 transfundit secum Libyam refluxumque malignus
 283 commodat imperium. Mauri fuit Africa munus.
 284 Tollite Massylas fraudes, removete bilingues
 285 insidias et verba soli spirantia virus.
 286 Ne consanguineis certetur comminus armis,
 287 ne, precor. Haec trucibus Thebis, haec digna Mycenis ;
 288 in Mauros hoc crimen eat. Quid noster iniquum
 289 molitur Stilicho ? Quando non ille jubenti
 290 paruit ? An quisquam nobis devinctior extat ?
 291 Ut sileam varios mecum quos gesserit actus,
 292 quae vidi post fata loquar. Cum divus abirem,
 293 res incompositas (fateor) tumidasque reliqui.
 294 Stringebat vetitos etiamnum exercitus enses
 295 Alpini odiis, alternaque jurgia victi
 296 victoresque dabant. Vix haec amentia nostris
 297 excubiis, nedum puero rectore quiesset.
 298 Heu quantum timui vobis, quid libera tanti
 299 militis auderet moles, cum carcere moto
 300 ferveret jam laeta novis. Dissensus acerbus
 301 et gravior consensus erat. Tunc ipse paterna
 302 successit pietate mihi tenerumque rudemque
 303 fovit et in veros eduxit principis annos,
 304 Rufinumque tibi, quem tu tremuisse fateris,
 305 depulit. Hunc solum memorem solumque fidelem
 306 experior. Volui si quid, dum vita maneret,
 307 aut visus voluisse, gerit ; venerabilis illi
 308 ceu praesens numenque vocor. Si tanta recusas,
 309 at soceri reverere faces, at respice fratris
 310 conubium pignusque meae regale Serenae.
 311 Debueras etiam fraternis obviis ire
 312 hostibus, ille tuis. Quae gens, quis Rhenus et Hister
 313 vos opibus junctos conspirantesque tulisset ?
 314 Sed tantum permittite : cadet. Nil poscimus ultra.
 315 Ille licet sese praetentis Syrtibus armet
 316 oppositoque Atlante tegat, licet arva referta
 317 anguibus et solis medios objecerit aestus,
 318 novi consilium, novi Stilichonis in omnes
 319 aequalem casus animum : penetrabit harenas,
 320 inveniet virtute viam." Sic divus et inde
 321 sic natus : "Jussis, genitor, parebitur ultro.
 322 Amplector praecepta libens, nec carior alter
 323 cognato Stilichone mihi, commissa profanus
 324 ille luat. Redeat jam tutior Africa fratri."
 325 Talia dum longo secum sermone retexunt,
 326 Hesperiam pervenit avus castumque cubile
 327 ingreditur, Tyrion quo fusus Honorius ostro
 328 carpebat teneros Maria cum conjugis somnos.
 329 Adsistit capiti. Tunc sic per somnia fatur :
 330 "Tantane devictos tenuit dementia Mauros,
 331 care nepos ? Iterum post me conjurat in arma
 332 progenies vesana Jubae bellumque resumit
 333 victoris cum stirpe sui ? Firmumne jacentem
 334 obliti Libyam nostro sudore receptam
 335 rursus habent ? Ausus Latio contendere Gildo
 336 germani nec fata timet ? Nunc ire profecto,
 337 Nunc vellem notosque senex ostendere vultus :
 338 nonne meam fugiet Maurus cum viderit umbram ?

339 Quid dubitas ? Exsurge toris, invade rebelles,
 340 captivum mihi redde meum. Desiste morari.
 341 Hoc generi fatale tuo : dum sanguis in orbe
 342 noster erit, semper pallebit regia Bocchi.
 343 Jungantur spoliis Firmi Gildonis opima,
 344 exornet geminos Maurusia laurea currus,
 345 una domus totiens una de gente triumphet !
 346 Di bene, quod tantis interlabentibus annis
 347 servati Firmusque mihi fraterque nepoti !"
 348 Dixit et afflatus vicino sole refugit.
 349 At juvenem stimulis inmanibus aemula virtus
 350 exacuit. Jam puppe vehi, jam stagna secare
 351 fervet et absentes invadere cuspide Mauros.
 352 Tum jubet acciri socerum dextramque vocato
 353 conserit et, quae sit potior sententia, quaerit :
 354 "Per somnos mihi, sancte pater, jam saepe futura
 355 panduntur multaeque canunt praesagia noctes.
 356 Namque procul Libycos venatu cingere saltus
 357 et juga rimari canibus Gaetula videbar.
 358 Maerebat regio saevi vastata leonis
 359 incursu : pecudum strages passimque juveni
 360 semineces et adhuc infecta mapalia tabo
 361 sparsaque sanguineis pastorum funera campis.
 362 Aggredior latebras monstri mirumque relatu
 363 conspicio : dilapsus honos, cervice minaces
 364 defluxere jubae ; fractos inglorius armos
 365 supposuit servile gemens injectaque vincla
 366 unguibus et subitae collo sonuere catenae.
 367 Nunc etiam paribus secum certare trophaeis
 368 hortator me cogit avus. Quonam usque remoti
 369 cunctamur ? Decuit pridem complere biremes
 370 et pelagi superare moras. Transmittere primus
 371 ipse paro ; quaecumque meo gens barbara nutu
 372 stringitur, adveniat : Germania cuncta feratur
 373 navibus et socia comitentur classe Sygambri.
 374 Pallida translatum jam sentiat Africa Rhenum.
 375 An patiar tot probra sedens juvenisque relinquam
 376 quae tenui rexique puer ? Bis noster ad Alpes
 377 ulterius genitor defensum regna cucurrit.
 378 Nos praedae faciles insultandique jacemus ? "
 379 Finierat. Stilicho contra cui talia reddit :
 380 "Adversine tubam princeps dignabere Mauri ?
 381 Auferet ignavus clari solacia leti,
 382 te bellante mori ? Decernet Honorius inde,
 383 hinc Gildo ? Prius astra chaos miscebit Averno !
 384 Vindictam mandasse sat est ; plus nominis horror
 385 quam tuus ensis aget. Minuit praesentia famam.
 386 Qui stetit aequatur campo, collataque nescit
 387 majestatem acies. Sed quod magis utile facto
 388 atque hosti gravior (sensus adverte) docebo.
 389 Est illi patribus, sed non et moribus idem
 390 Mascezel, fugiens qui dira piacula fratris
 391 spesque suas vitamque tuo commisit asylo.
 392 Hunc ubi temptatis frustra mactare nequivit
 393 insidiis, patrias in pignora contulit iras
 394 et quos ipse sinu parvos gestaverat una
 395 obtruncat juvenes inhumataque corpora vulgo
 396 dispulit et tumulo cognatas arcuit umbras

397 naturamque simul fratremque hominemque cruentus
 398 exuit et tenuem caesis invidit harenam !
 399 Hoc facinus refugo damnavit sole Mycenae
 400 avertitque diem ; scelere sed reddidit Atreus
 401 crimen et infandas excusat conjugis mensas.
 402 Hinc odium, non poena fuit. Te perdita jura,
 403 te pater ultorem, te nudi pulvere Manes,
 404 te Pietas polluta rogat. Si flentibus aram
 405 et proprium miseris numen statuistis Athenae,
 406 si Pandionias planctu traxere phalanges
 407 Inachides belloque rogos meruere maritis,
 408 si maestis squalore comae lacrimisque senatum
 409 in Numidas pulsus solio commovit Adherbal,
 410 hunc quoque nunc Gildo, tanto quem funere mersit,
 411 hunc doleat venisse ducem seseque minorem
 412 supplicibus sciat esse tuis. Quem sede fugavit,
 413 hunc praecipuus fugiat, fregit quem clade, tremiscat
 414 agnoscatque suum, trahitur dum victima, fratrem."
 415 Haec ubi sederunt genero, notissima Marti
 416 robora, praecipuos electa pube manipulos
 417 disponit portuque rates instaurat Etrusco.
 418 Herculeam suus Alcides Joviamque cohortem
 419 rex ducit superum, premitur nec signifer ullo
 420 pondere : festinant adeo vexilla moveri !
 421 Nervius insequitur meritisque vocabula Felix
 422 dictaque ab Augusto legio nomenque probantes
 423 invicti clipeoque animosi teste Leones.
 424 Dictis ante tamen princeps confirmat ituros
 425 aggere conspicuus ; stat circumfusa juvenus
 426 nixa hastis pronasque ferox accommodat aures :
 427 "Gildonem domitura manus, promissa minasque
 428 tempus agi. Si quid pro me doluistis, in armis
 429 ostentate mihi : justo magnoque triumpho
 430 civiles abolete notas ; sciat orbis Eous
 431 sitque palam Gallos causa, non robore vinci.
 432 Nec vos, barbariem quamvis collegerit omnem,
 433 terreat. An Mauri fremitum raucosque repulsus
 434 umbonum et vestros passuri comminus enses ?
 435 Non contra clipeis tectos gladiisque micantes
 436 ibitis : in solis longe fiducia telis.
 437 Exarmatus erit, cum missile torserit, hostis.
 438 Dextra movet jaculum, praetentat pallia laeva ;
 439 cetera nudus eques. Sonipes ignarus habenae ;
 440 virga regit. Non ulla fides, non agminis ordo :
 441 arma oneri, fuga praesidio. Conubia mille ;
 442 non illis generis nexus, non pignora curae,
 443 sed numero languet pietas. Haec copia vulgi.
 444 Umbratus dux ipse rosis et marcidus ibit
 445 unguentis crudusque cibo titubansque Lyaeo,
 446 confectus senio, morbis stuprisque solutus.
 447 Excitet incestos turmalis bucina somnos,
 448 imploret citharas cantatricesque choreas
 449 offensus stridore tubae discatque coactus
 450 quas vigilat Veneri castris impendere noctes.
 451 Nonne mori satius, vitae quam ferre pudorem ?
 452 Nam quae jam regio restat, si dedita Mauris
 453 regibus Illyricis accesserit Africa damnis ?
 454 Jus Latium, quod tunc Meroe rubroque solebat

455 Oceano cingi, Tyrrhena clauditur unda ?
 456 Et cui non Nilus, non intulit India metas,
 457 Romani jam finis erit Trinacria regni ?
 458 Ite recepturi, praedo quem sustulit, axem
 459 ereptumque Notum ; caput insuperabile rerum
 460 aut ruet in vestris aut stabit Roma lacertis.
 461 Tot mihi debetis populos, tot rura, tot urbes
 462 amissas : uno Libyam defendite bello.
 463 Vestros imperium remos et vestra sequatur
 464 carbasa ; despectas trans aequora ducite leges.
 465 Tertia jam solito cervix mucrone rotetur
 466 tandem funereis finem positura tyrannis."
 467 Omina conveniunt dicto fulvusque Tonantis
 468 armiger ad liquidam cunctis spectantibus aethram
 469 correptum pedibus curvis innexuit hydrum
 470 dumque reluctantem morsu partitur obunco,
 471 haesit in ungue caput, truncatus decidit anguis.
 472 Ilicet auguriis alacres per saxa citati
 473 torrentesque ruunt ; nec mons aut silva retardat,
 474 pendula ceu parvis moturae bella colonis
 475 ingenti clangore grues aestiva relinquunt
 476 Thracia, cum tepido permutant Strymona Nilo :
 477 ordinibus variis per nubila textitur ales
 478 littera pennarumque notis inscribitur aer".
 479 Ut fluctus tetigere maris, tunc acrior arsit
 480 impetus ; arripiunt naves ipsique rudentes
 481 expediunt et vela legunt et cornua summis
 482 adsociant malis. Quatitur Tyrrhena tumultu
 483 ora nec Alpheae capiunt navalia Pisae.
 484 Sic Agamemnoniam vindex cum Graecia classem
 485 solveret, innumeris fervebat vocibus Aulis.
 486 Non illos strepitus impendentisque procellae
 487 signa nec adventus dubii deterruit Austri.
 488 "Solvite jam, socii", clamant "aut rumpite funem.
 489 Per vada Gildonem quamvis adversa petamus.
 490 Ad bellum nos trudat hiems per devia ponti.
 491 Quassatis cupio tellurem figere rostris.
 492 Heu nimium segnes, cauta qui mente notatis,
 493 si revolant mergi, graditur si litore cornix !
 494 Ora licet maculis asperserit occiduus Sol
 495 Lunaque conceptis livescat turbida Coris,
 496 et concussa vagos jaculentur sidera crines,
 497 imbribus humescant Haedi nimbosaque Taurum
 498 ducat Hyas totusque fretis descendat Orion,
 499 certa fides caeli, sed major Honorius auctor.
 500 Illius auspiciis immensa per aequora miles,
 501 non Plaustri Arctove regor. Contemne Bootem,
 502 navita, turbinibus mediis permittite carinas.
 503 Si mihi tempestas Libyam ventique negabunt,
 504 Augusti Fortuna dabit". Jam classis in altum
 505 provehitur. Dextra Ligures, Etruria laeva
 506 linquitur et caecis vitatur Corsica saxis.
 507 Humanae speciei plantae se magna figurat
 508 insula (Sardiniam veteres dixere coloni),
 509 dives ager frugum, Poenos Italosve petenti
 510 opportuna situ. Quae pars vicinior Afris,
 511 plana solo, ratibus clemens ; quae respicit Arcton,
 512 inmitis, scopulosa, procax, subitisque sonora

513 flatibus ; Insanos infamat navita montes.
514 Hic hominum pecudumque lues, hinc pestifer aer
515 saevit et exclusis regnant Aquilonibus Austri.
516 Quos ubi luctatis procul effugere carinis,
517 per diversa ruunt sinuosae litora terrae.
518 Pars adit antiqua ductos Carthagine Sulcos ;
519 partem litoreo complectitur Olbia muro.
520 Urbs Libyam contra Tyrio fundata potenti
521 tenditur in longum Caralis tenuemque per undas
522 obvia dimittit fracturum flamina collem ;
523 efficitur portus medium mare tutaque ventis
524 omnibus ingenti mansuescunt stagna recessu.
525 Hanc omni petiere manu prorisque reductis
526 suspensa Zephyros expectant classe faventes.